



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Vsus matrimonialis coniugij multipliciter vitiari potest.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

& celebret. Non enim propter hæc, sacramenta ordinantur ad hæc, sed mutationes nostrarum voluntatum. In his igitur aut non inuenitur peccatum, si voluntas est ordinata: aut veniale, quando inordinata est intentio præponens postponenda. Septimum caput peccati in contrahendo matrimonium, est indignitas personæ. Et hæc est duplex. Prima est excommunicationis: vt si persona esset excommunicata siue maiore, siue minore excōmunicatione: quia excommunicatio minor excludit à passiuâ participatione sacramentorū. Constat autē vtrunq; coniugē suscipere sacramentū matrimonii quū cōtrahitur per verba de presenti. Secūda est peccati mortalis: vt si esset in peccato mortali statu. Censetur autē quilibet in peccato mortali esse, si postquā commisit mortale peccatum, non est contritus, si autem est contritus, iam non est in peccato mortali. Igitur ante quā cōtrahant matrimonium, debet vterq; cōfiteri de omnibus peccatis suis. Et si tunc non confitetur, & scit aut dubitat se excommunicationi maiori aut minori subiaceri, faciat se absolui, vt dignè possit contrahere: non contrahens cū altera excōmunicatione scienter, aut cum peccato mortali scienter, peccat mortaliter peccato sacrilegii: notabilē exhibēs sacramēto irreuerentiam.

Vsus matrimonialis coniugij multipliciter vitari potest.

Matrimonii peccata quantum ad vsum coniugij sunt ex capitibus xiiii. Primo, ex fine. Secundo, ex modo. Tertio, ex indispositione. Quarto, ex periculo. Quinto, ex debito. Sexto, ex loco. Septimo, ex tempore. Octauo, ex more. Nonno, ex voto. Decimo, ex adulterio. Vndecimo, ex abusu. Duodecimo, ex impudicijs. Tertiodecimo, ex qualitate damnata. Quartodecimo, ex innaturalitate contra ipsum ma-

Matrimonium. 413

trimonii vsum. Primum igitur caput peccati in coniugii vsum est finis: nam causa generandi exercendus est, aut in remedium concupiscentiæ. Si igitur solius delectationis causa fit, peccatum est, veniale tamen. Secundum caput peccati est modus innaturalis. Et quia infiniti sunt modi quos humana delectatio adinuenit, hoc scito quod nisi ex rationabili causa mutetur naturalis modus, seruato semper vase naturali, semper est peccatum. Et nisi modus sit intantum exorbitans vt impediatur posse concipere (hoc est posse bene recipere semen, ita vt posset concipere si aliud non obstarer) communiter est peccatum veniale. Videtur autem valde obstare facultati concipiendi, si mulier super virum sit: & propterea hoc videtur mortale aut prope. Si tamē posset mulier sic concipere, noli damnare. Tertium autem caput ex indispositione menstruorum. Mulier enim menstruata peccat petendo debitum, reddendo autem excusatur, si viro consulit. Non tamen est peccatum mortale petere aut reddere menstruatam: quia nulli facit iniuriam qui vitur iure suo. Quartum caput est, periculum aut abortus, aut notabilis nocementi: hoc enim est manifestè contra charitatem proximi. nam vita prolis & sanitas mariti, bona sunt non laudenda. Vnde non curare de huiusmodi, est peccatū mortale. Quintum caput est debitum. Nam negare debitum coniugale petenti coniungi, peccatum est mortale ex suo genere: quia est iniustitia. Excusatur tamen coniunx à reddendo debito in duobus casibus.

Primus est, si non potest sine periculo vite vel ægritudinis: quoniam debitum coniugii intelligitur salua consistentia & sanitate subiecti. De periculo autē infectionis lepræ, canonica lex non eripit dicens auctoritate Apostoli Pauli teneri sanum coniugem reddere debitum leproso exigenti vt patet extra de coniug.

¶ 2

leproso.

414 Matrimonium.

leproso. cap. quoniam. Quod tamen à quibusdam moderatè exponitur scilicet quādo ex redditione debiti non imminet sano periculum infectionis. Et satis rationabiliter: quoniam redditiō debiti coniugalis intelligitur salua non solū consistentia. sed sanitate subiecti: quia non tenetur ægritudine[m] notabilem incurrere propter reddendum debitum hoc: generandi enim opus ordinatū est natura ad bonum speciei sine malo indiuidui. Et ideo sicut non tenetur incurere ex hoc notabilē debilitatem: ita nec lepram, quæ maius malum est. Vnde in huiusmodi casu videtur standum consilio medicorū de periculo infectionis, consideratis particularibus circumstantiis & qualitatibus. Secundus est, si petens fornicationem cōmisit, quia ex hoc alteri auctoritate domini licet coniugis eorum dimittere. Ad hunc casum reducitur omnes casus in quibus coniunx perdit ius exigendi debitum. Nisi ergo rationale impedimentū adsit, peccat mortaliter negans dubium, etiam si dies Paschæ fuerit in quo debeant communicare.

Sextum caput est locus duplex: sacer, vel publicus. Nam actus polluens locum sacrum, non potest licitè ibi exerceri. Constat autem quòd omnis effusio voluntaria seminis humani polluit locum sacrum, sicut effusio sanguinis iusta à iudice facta: vnde committeretur sacrilegium etiam tempore obsidionis in Ecclesia matrimonio vtendo. Nec inconuenit coniuges teneri ad castitatem ex penuria loci: quum teneantur ex mutua absentia per multos annos viro existente occupato in militaribus, &c.

In publico autem loco non patitur honestas humanæ societatis id fieri. Septimum caput est, tempus sacrum duplex: scilicet commune, vt sunt dies festi & quadragesimales: in quibus (nisi cōtempus festorum interueniat) concessus est vsus coniugii. Aliud est sa-

crum

Matrimonium. 415

erum tempus speciale: quo scilicet prohibita sunt nuptia, de quo in verbo nuptia dicitur. Sed nunc dicitur quantum ad consummationem matrimonii, quid consummare matrimonium tali tempore peccatum est: quia contra finem precepti fit. Non tamen est peccatum mortale, si sine solennitate nuptiarum, sine traditione vxoris in domum, fit consummatio matrimonii: quia hoc non inuenitur prohibitum: nec cadit sub prohibitione Ecclesie vt prohibitum: sed vt finis prohibiti. Aliud autem constat esse quod precipitur: & aliud quod est finis precepti: sicut finis precepti, ieiunii est eleuatio mentis: si tamen quis ieiunat, & non eleuatur mente, non est transgressor precepti. Vbi autem consummato matrimonio, nullum peccatum est hoc tempore, sicut nec alio sacro tempore. Octauum caput peccati est non benedicendi sponsas ante nuptias, & verè peccatum est vti coniugio ante benedictionem solitam. Si tamen desit contemptus, non est peccatum mortale consummare matrimonium ante benedictionem: quia nec statuti nec consuetudinis violatio ex infirmitate passionum infert peccatum mortale: vt latius declarauimus in commentariis tertiae partis circa finem. vide ibi si vis. Nonum caput peccati est, votum simplex castitatis. Contra quod coniunx voto adstrictus agit petendo debitum: non autem reddendo, siue expressè, siue interpretatiue petatur. Et ratio peccati mortalis in petendo est: quia votum castitatis ad votum de negatiuo, obligat semper & ad semper: quia obligat se ad non exercendum actum venereum. Et propterea licet excusetur reddendo (quia tenetur maiore vinculo ad reddendum actum illum alteri) non habet vnde excusetur petendo: quum tenetur ex voto ad non exercendum, & in libertate ipsius sit non petere.

Et bene nota, quod secus est de habente simplex

cc 3

votum

216 Matrimonium.

votum religionis. Ille nanq; qui vouit ingredi & perseuerare in religione: & postea absque dispensatione uxorem duxit potest post consummatum matrimonium petere debitum ab uxore: quia votum eius est de affirmatione scilicet de assumendo statum religionis, & non est de castitate, sicut nec de paupertate, nisi per viam sequelæ ad statum religionis, votum autem castitatis (vt dictum est) de negatiuo est. Et propterea iste tenetur ad negatiuam, quâdocunq; est in sua libertate: & similiter ille tenetur ad affirmatiuam quâdocunq; est in sua potestate. s. mortua uxore. Vnde sicut habens votum religionis & postea illicitè uxoratus, non tenetur ad paupertatē nisi quando erit religiosus: ita nec ad castitatem ex suo voto. Et ne hoc tibi videatur mirabile, vide quod si homo post emissum castitatis votum fornicatur, peccat contra votū: si verò post emissum simplex religionis votum fornicatur, non fasit contra votum. Hinc enim perpendere potes dictam differentiam esse in causa, quia. si ille vouit negatiuam, iste affirmatiuam: & ideò ille non potest petere debitum, iste sic. Decimum caput peccati est adulterium: quod potest intelligi vel de proprio, vel alterius coniugis. Et si de proprio quidem agitur quamuis aliter possit ei ob hoc negare debitū auctoritate Domini nostri Iesu Christi, non tamen peccat petendo aut reddēdo: siue hoc peccatum eius sciatur à coniuge, siue non: quia non est adhuc priuatus sed priuandus: vt latius in volumine primo respōsionum disseruimus. Si verò de coniugis adulterio manifesto agitur, grauis est causa, præsertim mariti. Veruntamen (vt in primo quotlibeto nostro discussimus diffuse) vxor sciens virum publicam cōcubinam tenentem, & ob hoc tristis, & dolens non sperans ex hoc quod contineret se ab illius concubitu, emēdationem eius faciens quod in se est vt maritus corrigatur, potest

test

Matrimonium. 417

est illius coniugio uti: quia cessat in ea tam ratio scandalii (quia nullus putat de ipsius cōsensu fieri hoc adulterium) quàm ratio patrocini & participii, ex quo nullam habet viam prouidendi. Vir autem sciēs uxorem publicè adulterari, quia tenetur ad correctionem eius non solum verbo, sed opere, utpote caput: debet omnibus quibus potest modis cohibere ipsam à crimine adulterii, & prouidere scandalo ne patronus turpitudinis habeatur. Et quia difficile est hæc duo facere, & simul uti coniugio illius: ideò nisi casus occurrat in quo vtrunque horum saluū sit utendo coniugio, non licet ei uti tali coniugio: vtrunque enim est de iure charitatis debite. In casu autem quo vtrunque saluum esset, non video quare inuoluatur peccato saltem mortali talis vsus: quum omnis legis ratio cesset, & contemptus desit. Undecimum peccati raput est, abusus coniugii, quo quis abutitur actu coniugii ad delectationem in opere, ita ut perficiatur opus extra naturale vas: sicut maritus Thamar faciebat. Et hoc est manifestè scelus magnum. Duodecimum est impudicitia consistens in tactibus venereis. Veruntamen tactus veneri tripliciter inueniuntur inter coniuges.

Primò, ratione vsus cōiugii: & sic ut liciti & quandoq; ut necessarii transeunt. Secundò, non propter actum coniugalem, sed nihil aliud intenditur quam sistere in huiusmodi tactibus: & tunc proprie est impudicitia. Et si sine periculo pollutionis in vtroque coniuge hæc fiat, tolerabile, utpote veniale, quia non nisi superfluitas est delectationis intra coniugales terminos. Si verò cum periculo pollutionis in altero ipsorum fiant, dicendū est sicut de multum bibentibus cum periculo ebrietatis. Et peius hic: quia non est in potestate personæ continere pollutionem, sicut continere decimam potationem ne inebrietur. Vnde

418 Medici peccata.

si experta persona est se pollui ex similibus tactibus tot & talibus, & aduertit periculum, & non obuiat, nescio excusare à mortali, etiam si non sequatur pollutio. Tertio, fiunt huiusmodi tactus ex intentione aut quasi vt polluantur: & est manifestè peccatum nefandum. Dixi autem aut quasi, propter vacantes huiusmodi tactibus non cogitando si eueniat pollutio, vel non eueniat: essent autem cōtenti vt eueniret: dant siquidem operam actibus illicitis ex quibus nata est sequi pollutio: & ideo tanquàm intenta imputatur illis sic malè affectis. Tertiumdecimū caput est damnata qualitas: scilicet matrimonii clandestini. Nam & ipsum clandestinum coniugiū & ipsius vsus per se loquendo est peccatum mortale: vtpote offendens societatem humanam, scandalosus & damnatus ab Ecclesia, Si tamen per accidens quandoque liceat, vide diffusius scripta in supradictis commentariis. Quartumdecimū caput peccati est, innaturalitas, qua naturalis vsus immutatur in eum vsū qui est contra naturam: hoc est cognoscendo vxorem extra vas naturale. Est enim hoc peccatum pessimum, & omnino execrabile.

Medicus potest mul tipliciter peccare.

Medici peccata peculiaria consistunt in temeritate. Nam ante cognitam ægritudinem peccat vel temerè curando (quia morbi incogniti nulla est via curæ) vel temerè tentando dum ad explorādum naturam morbi adhibet periculosa, & exponit hominē discrimini vitæ vel grauis læsionis. Melius est enim relinquere infirmum regimini nature, quàm diuinando exponere illum periculo alteri: sed propter lucrū, aut ne videatur ignorans medicus, aut propter ignorantiam, aut propter negligentiam studendi, diuinando procedit contra charitatem. Post cognitum au-

tem